

## SYNOPSIS TOTIUS OPERIS.

**S**Acrosanctorum OEcumenicum ac Generale Tridentinum Concilium toti Universo notissimum, sub Paulo Tertio Pontifice Maximo, omne laeto, auspicioque fausto, ingenti totius Christiani Orbis plausu, & exultatione celebrari coepit apud Tridentum præexcelsam Italæ Urbem, in Cœniomano rum Regione ad Tyroli Comitatum, cunctorum Generalium ultimum, die 13. Mensis Decembris, anno Domini 1545.

Postmodum per Julium Tertium etiam Orbis Moderatorem protractum, & restitutum: Postremò aliquando intermissum, distractum varie, atque divulsum, sub Pio Quarto singulari Dei Omnipotentis ope, die 4. Decembris, anno 1563, exitu auspicatissimo, & incredibili omnimodæ laudis præconio expletum, & commendatum.

Hæc etenim Tridentina Synodus cuncta sua Canonica Acta, quinque & viginti perbellè exambit Sessionibus, hoc reverè lepidò sancitis ordine. Primo, sub Paulo Tertio decem celebrarunt Patres Concilii Sessiones. Secundò, ope & subsidio freti Sanctissimi Domini nostri Iulii Papæ Terti, sub illiusque optatissimo regimine, sex duntaxat consecere. Tertiò tandem, Pius Quartus foeliciter Concilium perfecit, ac ultimam potentia manum adhibuit, novem super sexdecim denuò adiectis Sessionibus, quæ numerum vigesimum quintum amussim absolvunt.

Super his modò Sessionibus, animum parùm agitare intendimus, & genuinum propriumque earum enucleare sensum duximus necessarium, ut facilius postmodum ex ipsis questiones aptiores in legentium luxum, & utilitatem evicerare possimus.

SES-

## Pag. 1 SESSIONES SUB PAULO TERTIO PONTIFICE MAXIMO CELEBRATÆ RECENSENTUR.

### SESSIO PRIMA.

**S**ACRIMA Sacrosancti Concilii Tridentini Sessio, dextrâ Dei Omnipotentis afflante, fausto principio celebrata extat apud Tridentinum sub Paulo Tertio, die 13. mensis Decembris, anno 1545. quæ solùm *Decretum de inchoando Concilio* exabit.

### SESSIO SECUNDA.

**S**ECUNDA etiam apud Tridentinam Urbem peracta invenitur Sessio sub die 7. mensis Januarii, anno 1546. quæ *de modo vivendi, aiiisque in Concilio servandis* decretum complectitur.

### SESSIO TERTIA.

**T**ERTIA ibidem à Patribus Concilii celebrata sub die 4. mensis Februarii ejusdem anni 1546. comprehendit *Decretum de Symbolo fidei*, totidem verbis absolutum, quibus in Ecclesiis omnibus lectitur.

### SESSIO QUARTA.

**Q**UARTA, sub die 8. mensis Aprilis habita, anno 1546. duplex proponit decretum. Alterum *de Canonicis Scripturis*, ne deinceps quis hæsitare valeat de veritate, doctrinâ, & librorum numero: Alterum *de Editione, & usu Sacrorum librorum*. Ubi de Veteri ac Vulgata editione, Authoribus librorum, eorumque Impressoribus multa notatu digna congerit.

### SESSIO QUINTA.

**Q**UINTA Sessio die 17. mensis Junii, anno 1546. absoluta, continet decretum *de Peccato Originali*, quo expresse Sancta Synodus decernit, Adæ prævaricationem non sibi soli, vel 1m & ejus

Li 2

2 In Tridentinum Concilium

eius propagini graviter nocuisse. Duo insuper hæc Sessio p̄ræcontinet capita, & in ipsis geminum absolvit decretum. Primum de Reformatione, & Interpretatione sacra Scriptura in Ecclesiis necessaria, atque aliis ad id perrinenibus. Secundum de Prædicationis munere exequendo, & licentia Superiorum ad id requisita.

SESSIO SEXTA.

**S**exta, sub die 13. mensis Januarii, anno 1547. expleta recensetur, quæ de hominum justificatione decretum, in decem & sex divisum capita, necnon triginta & tres ex ipsis deductos continent Canones. Ulterius, hæc eadem Sessio decretum de reformatione, & residentia Prelatorum in suis Ecclesiis, aliaque ad id confluentia comprehendit, revera in quinque alia partitum capita.

SUMMA CAPITUM PRÆSENTIS SESSIONIS.

1. IN primo agitur de natura, & legis ad justificandos homines imbecillitate. Exinde firmiter fatendum, omnem hominem originariâ Adami noxâ innocentiam amisisse, immundumque, ac divina vindicta reum evasisse.

2. Secundum differit de dispensatione, & Mysterio adventus Christi Domini. Ubi exprimitur, Aeternum Patrem, misericordiarum piissimum, Patrem ac Deum totius consolationis, Filium suum aeternâ actione prognatum misisse in mundum, ut proprii cruxis pretiosissimo profluvio, genus humanum abluendo redimeret.

3. Tertium attingit rationem de his, qui per Christum Dominum justificantur; definitque, quod eti Christus pro omnibus acerbam mortem subjerit; non tamen omnes justificationis gratiam accipiunt, sed illi tantum, quibus theandricum Passionis meritum communicatur.

4. Expenditur in quarto descriptio justificationis impii, & modus ejus in statu gratiae. Impii namque justificatio est translatio ab eo statu miserrimo, in quo homo nascitur primi Parentis infecta proles, in faustissimum ac ingenium statum gratiae, & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum Servatorem nostrum. Quæ revera translatio, post Evangelii euulgationem, sine regenerationis lavacro, aut ejus voto expediri non valet.

5. Sermonem instituit quintum de necessitate preparationis ad justificationem in adultis, & unde sit? Resolvit igitur, quod nostræ justificationis primordia in adultis à gratiâ Christi Domini defumantur, id est, ac ejus clementissimâ vocatione, quâ nullis propriis pre-existentibus meritis evocamur.

Sex

Academica Concertatio.

3

6. Sextum p̄tractat de modo preparationis. Etenim homines ad justificationem disponuntur, dum ope divinæ gratiæ fortiter, suaviter, que excitati, insuper & adjuti, ad Dominum convertuntur.

7. Septimum percontatur: Quid sit justificatio impii, & quæ ejus causa? Igitur justificatio nostra non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam gratiæ, & donorum susceptionem. Inde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitæ aeternæ. Cujus utique mirabilis justificationis omnia causarum genera notantur.

8. Recludit octavum: Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratis justificari? Per fidem hominem, & gratis justificari eatenim dicimus, quatenus fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine quâ impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus fœlicissimum confortium pervenire: At gratis justificari dicuntur homines, quod nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, sive quicquam aliud ipsam justificationis gratiam promereantur. Si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin gratia jam gratia non esset.

9. Invehitur nonum contra inanem hereticorum fiduciam. Etsi necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divinâ misericordiâ per Christum operante; nemini tamen fidem, fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in eâ solâ quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse tenendum est, prout hæretici, & schismatici hujus temporis segniter docent, & slute omnino prædicant.

10. Adebat in decimo diffinitio de acceptâ justificationis incremento. Justi quippe, & amici Dei per carnis macerationem mirè de virtute in virtutem accrescant, præcepta divina, & ecclesiastica observantes, juxta illud Oraculum: Qui justus est, justificetur adhuc. Hoc igitur justitiae incrementum Sancta depositum Ecclesia, dum orat: Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.

11. Præscribitur in undecimo decretum de observatione mandatorum, deque illius necessitate, & possibiliitate. Nemo, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum Dei putare debet. Nemini licet illâ temerariâ, ac impiâ assertione uti: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Deus enim impossibilia non præcipit, sed præcipiendo non potest, & facere quod possis, & petere quod non possis, adjuvatq[ue] ut possis.

12. Statuit firmiter duodecimum, Prædestinationis temerariam

pro

*presumpcionem cavendam esse.* Nullus igitur homo in hac mortali vita constitutus affirmare presumat, se prædestinatorum fastis adscriptum, insciè judicans, justum ultrà peccare non posse; si autem peccaverit, veniam sibi arrogare, certo & infallibiliter debere; cum hoc absque speciali divinâ revelatione pro comperto haberri non possit.

13. Agitur in tertio decimo de perseverantia munere: Inde de sumptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hoc namque desursum à Deo Patre duntaxat haberi potest, qui manu potenti sua uere valet eum qui stat, ut firmiter stet, carentemque, in gradu pristinum restituere. Verumtamen, qui se existimant stare, vi-deant ne cadant. Nemo sibi quicquam certum absolutâ certitudine pollicetur; tametsi in Dei ope, & auxilio firmissimam spem locare, ac reponere omnes utique debeant.

14. Pertinet quartum decimum de *Lapsis*, & eorum reparacione: De his, qui a celissimâ gratiae elevatione in profundiissimum peccati barathrum delapsi, revocati possunt à miserabili lapsu per saluberri-mum pœnitentiae Sacramentum, quod secunda tabula post naufragium constitutum est; institutumque à Christo Domino, dum Discipulis sic fuit auctoritatis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

15. Stabilitur in quintodecimo capite: *Quolibet peccato mortali anitti gratiam, sed non fidem.* Ad coercenda, frænandaque aliquorum versuta ingenia, simplicium corda perverttere conantium, Sacrosancta Synodus decernit, quod, etsi per infidelitatis gravissimum flagitium, fidel jactura incurrit, nihilominus per aliud quodvis peccatum non amittitur, quanvis gratia per justificationem affectu deperdat.

16. Absolvit decimum sextum materiam de fructu justificationis, sive de merito bonorum operum, deque ipsis meriti ratione. Hortatur que enixe justos, ut in fœlicissimo gratiae statu perpetuò conserventur; vel si ab ipso defecerint, statim recuperare invigilent. Quod spem nullatenus amittat, cui ingens remuneratio congruit, recteque operantibus usque in finem, & sperantibus in Deo vitam æternam promittit. Alia etiam in hunc scopum collimantia expendit.

#### DE JUSTIFICATIONE CANONES.

1. **T**res supra triginta Canones illati ex justificationis decreto, per sexdecim capita memorata partito, perfectè complectuntur quicquid ad modum, & substantiam justificationis pertinet; quorum omnium tractatum specialem infra instituimus.

Con-

2. Continet insuper prefata Sessio Decretum de reformatione, & residentia Prælatorum in suis Ecclesiis, per quinque capita divisum.

#### RELIQUA HUJUS SESSIONIS RECENSENTUR CAPITA.

1. **S**Uadet primum, Superiores Prælatos, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, &c. ad suarum Ecclesiam residentiam tene-ri; & de tempore in quo extra propriam diœcesim morando absue-rint, nonnulla provide apta; insuper & contumaciam gravibus penis obstringit, usque ad dignitatum publicam depositionem.

2. In secundo monet Prælatos Episcopis inferiores, beneficiis ecclæstasticis perfruentes personalem residentiam postulantibus; Curas etiam animarum, ut à propriis Ecclesiis non absint, sed incunctanter resideat; alioquin contrarium facientes pluribus innodat penis.

3. Præcipit tertium, Prælatos Ecclesiarum subditorum excessus solerter ac diligenter corrigere, & emendare. Annuit etiam Episcopis facultatem visitandi, coercendi, & puniendo quemlibet Regularem extra Monasterii septa divagantem, si delinquentem invenerit.

4. Quartum expressè declarat, posse Episcopum toties quoties necesse fuerit visitare, corrigere, & emendare Capitu'la quaruncun-que Ecclesiarum Cathedralium, vel Majorum, per seipso, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis.

5. Quintum severè indicit, nulli Episcopo licere Pontificalia in alienâ dioecesi exercere, sine Ordinarii localis expressâ facultate, & licentiâ; & hoc tantum circa personas ipsi Ordinario subjectas: Si alius fecerit, tum Episcopus ab exercitio Pontificalium, tum ordinatus ab ordinum executione, & usu sint ipso jure suspensi.

#### SESSIONE SEPTIMA.

1. **A**ccedit septima Sessio sub die tertia mensis Martii celebrata, anno 1547, continet decretum de Sacramentis, tum in gene-re, tum in specie, in tredecim Canones circa Sacraenta in genere partitum. De Baptismo quatuordecim; de Confirmatione tres duntaxat pertractant: Quindecim Capita efformantur de Reformatione. Cum enim in praecedenti Sessione abunde de justificationis dono actum fuerit, eo quod per Ecclesiæ Sacraenta omnis vera justitia, vel exordium, vel accrementum accipiat, vel reparetur deperdita, con-gruum omnino fuit in praesenti de Sacramentis rationem habere.

2. Primo igitur agit de Sacramentis in genere; deinceps de ipsis in particulari determinat: Sacraenta in genere tredecim Canonibus

ab

absolvit, quibus universim diffinit quicquid ad numerum, effectus, Ministros, eaque suscipientes pertinet.

3. Secundo, circa Baptismi Sacramentum versatur, adducitque  
14. Canones, quibus materiam, efficaciam, necessitatem, & reliqua  
ad ipsum spectantia præscribit, utraque ex parte, & Ministri, & sus-  
cipientis.

4. Tertiò, per tres Canones distinctos de Confirmatione differit,  
pressè diffiniens, acriterque taxans quorundam hæreticorum erro-  
rem, temerè judicantium, Confirmationem in baptizatis prorsùs  
inutilem fore, ac inanem cæremoniam reputari. Testantium simili-  
ter, injuriam Spiritui Sancto irrogare eos, qui huic Sacramento ali-  
quam virtutem efficaciamque tribuunt. Denique tenentium, nedum  
Episcopum, sed & simplicem quemvis Sacerdotem ejusdem esse Or-  
dinarium Ministrum.

5. Adhibet ulterius *de Reformatione decretum*, ubi assumptum  
præhabitæ Sessionis *de Reformatione*, & residentia Prelatorum in suis  
Ecclesiis persecutur, per quindecim Capita diffusum; quæ illico pro-  
ferenda continent.

#### MATERIES CAPITUM PRÆFATÆ SESSIONIS.

1. Statuit primum, neminem ad Cathedralium Ecclesiarum regi-  
men, vel in Episcopum assumatur, nisi ex legitimo Matrimo-  
nio prognatum, ætatis maturæ, probatae vitæ, ac sapientiae non  
vulgaris.

2. Præcipit secundum, nullum posthac cuiusvis dignitatis, & con-  
ditionis, plurium Metropolitanarum, vel Cathedralium sibi guber-  
nium arrogare præsumat. Qui autem plures Ecclesias contra præsentis  
decreti tenorem detinent, unâ quam maluerint retentâ, reliquas di-  
mittere teneantur.

3. Strictè indicitur in tertio, beneficia inferiora ecclesiastica, præ-  
sertim Curam animarum habentia, dignis, & habilibus personis con-  
ferri; quibus præceptum injungit residendi in suis Ecclesiis, & per  
seipso Curam ipsarum exercendi; alioquin collatio seu provisio be-  
neficii irritetur, & Ordinarius collator pœnas Constitutionis gene-  
ralis se noverit incursum.

4. Quartum ordinat, habentem plura Curata, aut beneficia ec-  
clesiastica incompatibilia, quovis titulo acquisita contra formam sa-  
crorum Canonum, præsertim contra Constitutionem Innocentii III.  
ipso jure illis debere privatum existere.

Hor-

5. Hortatur quintum, Ordinarios locorum, ut quoscunque plura  
Curata, aut alias beneficia ecclesiastica incompatibilia obtinetes, di-  
strictè compellant, jus, & dispositionem ad ea obtinenda exhibere;  
& si nullum fuerit, contra ipsos procedant, iusta Constitutionem Gre-  
gorii Decimi in Concilio Generali Lugdneni editam.

6. Sextum declarat, quod uniones sive Confraternitates perpetuae,  
à quadraginta annis citra erectæ, possint examinari ab Ordinariis. Et  
quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ de-  
clarentur. Reliquæ autem, quæ à dicto tempore concessæ, nondum  
in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujus-  
vis instantiam fient, sint ex legitimis, & rationabilibus causis coram  
Ordinario illius loci vocatis; aliter per subreptionem obtentæ præsu-  
mantur.

7. Septimum diffinit, beneficia ecclesiastica Curata Cathedrali-  
bus, Collegiatis, Monasteriis, beneficiis, Collegiis, aut aliis piis locis  
perpetuò unita, & annexa, singulis annis ab Ordinariis visitanda fo-  
re: Qui sollicitè provideant, ut per idoneos Vicarios, etiam perpe-  
tuos administrantur; nisi alter pro bono Ecclesia regimine eis expe-  
dire videbitur.

8. Octavum determinat, quod Ordinarii locorum Ecclesias quas-  
cunque, quomodolibet exemptas, singulis annis visitare teneantur,  
& opportunis remediis providere, ut quæ reparatione indigent, repa-  
rentur, & curâ animarum, si quâ egent, non fraudentur, privilegiis  
in contrarium annullatis, & præscriptis.

9. Duo nonum stabilit capitulum, primum, quod ad Majores Ec-  
clesias promoti, infra terminum à jure statutum consecrari debeant.  
Secundum, prorogationes ultra sex menses concessas, nemini suffra-  
gari posse.

10. Statuitur in decimo, non licere Capitulis Ecclesiarum, Sede  
vacante, infrâ annum à die vacationis litteras dimissorias alicui ad  
ordinares recipiendos porrigitæ, dummodo beneficii ecclesiastici recep-  
ti, vel recipiendi occasione arctatus non fuerit. Si contrarium tentare  
præsumperit, pœnis hic statutis subjaceat.

11. Undecimum detegit, quod facultates de promovendo à quo-  
cunque, non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob-  
quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimen-  
dam; & tunc non ordinentur nisi ab Episcopo, in suâ diœcesi residente,  
aut pro eo Pontificalia excente, & prævio diligenti examine.

12. Expendit duodecimum, facultates de non promovendo, præ-  
ter-

Tom. V.

Mm

terquam in casibus à jure expressis , concessas , ad annum tantum suffragari.

13. Exprimitur in tertio decimo , quod præsentati , seu electi , aut nominati à quibusvis ecclesiasticis personis , etiam & Sedis Apostolicae Nunciis , ad quacunque beneficia , non instituantur , nec confirmantur , nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati , & idonei reperti , præsentatis ab Universitatibus seu Collegii Generalium Studiorum exceptis.

14. Quartumdecimum decernit , in Exemptorum causis Constitutionem Innocentii IV. servandam , quæ incipit : *Volentes* , in Concilio Generali Lugdunensi editam . In causis civilibus mercedum , miserabiliumque personarum statutum in præsenti decreto est observandum.

15. Innuit quintumdecimum , quod Ordinarii curent , ut hospitallia fideliter , & diligenter gubernentur ab administratoribus , servata formâ Constitutionis Concilii Viennensis incipientis : *Quia contingit*.

## SESSIO OCTAVA.

**A**d Octava Sessio die 11. Martii celebrata , anni 1547. continet Decretum de translatione Concilii à Tridentina in Bononiensem Civitatem , plerisque de causis expressis in ipso decreto ac diplomate Sanctissimi Patris nostri Pauli Papæ 3. Romæ expedito , anno 1544. octavo Kalend. Martii , sui Pontificatus anno undecimo.

## SESSIO NONA.

**P**roponitur nona Sessio Bononiae habita die 21. Mensis Aprilis , anno 1547. quæ prorogationis Sessionis decretum promit. Cùm enim Concilium e Tridentinâ ad Bononiensem Urbem translatum fuisset , nondum Patres omnes advenerant , aliisque de causis , quas ipsum recenset decretum.

## SESSIO DECIMA.

**D**ecima , novissimaque Sessio Bononiae sub Paulo 3. absoluta , sub diem secundam Junii , anno 1547. refert decretum prorogationis Sessionis. Haec tenus de Sessionibus sub Pauli III. Pontificis Maximi opera , & auspiciis celebratis ; apud Tridentinam , & Bononiensem Civitatem.

SES-

SESSIONES CELEBRATÆ SUB JULIO III.  
Pontifice Maximo.

**B**eatissimo Patre ac Domino nostro Paulo III. è vivis sublato 4. Idus Decembris , anno 1549. in Supremam Sedem suffectus est Julius ejusdem nominis tertius , Bullamque reassertionis Concilii Tridentini expedivit Romæ anno 1550. in eandem Tridentinam Civitatem Concilium revocando.

## SESSIO UNDECIMA.

**U**ndecima Sessio , prima Julii III. Tridentini expleta Kalendis Maii , anno 1551. decretum indicit de resumendo Concilio , sive de ejus translatione e Bononiensi urbe ad Tridentinam.

## SESSIO DUODECIMA.

**S**essio duodecima profert decretum prorogationis Sessionis. Adveniente namque die designato , nondum venerant universi Patres , & desiderabatur assistentia utriusque Maximi Præfusis , & Moguntini , & trevirensis Sacri Romani Imperii Electorum.

## SESSIO TERTIADECIMA.

**T**ertiadecima Sessio Tridenti expedita 11. die Octobris , anno 1551. promit decretum de Sanctissimo Eucharistia Sacramento , quod intendit omnibus Christi fidelibus , ne posthac de Venerabili Eucharistiâ Sacramento aliter credere , docere , aut prædicare audeant , quam ut est , hoc præsenti decreto explanatum , diffinitumque.

Octo Capita exambit præsens gravissimum decretum , undecimque similiter Canones ab ipsis emanantes. Item subnecit Decretum aliud de Reformatione , & Prælatorum officio , per octo etiam capita divisum. Postremò , tertium producit decretum pro Sessionis calce , prorogationis quippè , definitionis quatuor Articulorum de Sacramento Eucharistie , & salvi Conductus Protestantibus erogandi.

## PRÆSENTIS SESSIONIS EXPENDUNTUR CAPITA.

1. **I**n primo disseritur de reali præsencia Domini nostri Jesu Christi in Auguſtissimo Eucharistia Sacramento. Ubi per consecrationis verba constituitur Christus Dominus verus Deus & homo sub speciebus

Min 2

pa-